

ctasset Alexander, donasse dicitur ejusdem leguminis modio.
Quod quidem praemium fuit illo opere dignissimum.

Turpe est, difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

In utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor, et gladiatorum et equorum studia. Quibus occupatus et obsessus animus, quantulum loci bonis artibus relinquit!
4. Etiamsi multum superesset aetatis, parce dispensandum erat, ut sufficeret necessariis: nunc quae dementia est, supervacua discere in tanta temporis egestate?

Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere: et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt: vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto et rapido, et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?

CAPUT X.

QUI RECTE VIVIT, IS SCIENTIAM UTILEM ET NECESSARIAM EST ADEPTUS.

Si animum virtuti consecravit, et quacunque vocat illa, planum putat: si sociale animal est, et in commune genitus, mundum ut unam omnium domum spectat, et conscientiam suam diis aperuit, semperque tanquam in publico vivit: — si sciat, nec malum esse ullum, nisi turpe, nec bonum, nisi honestum: hac regula vitae opera distribuat, ad hanc legem et agat cuncta et exigat; miserrimosque mortaliū judicet, in quantiscunque opibus resulgebunt, ventri ac libidini deditos, quorum animus inertī otio torpet: — consummavit scientiam utilem atque necessariam. Reliqua oblectamenta otii sunt.

Martial. 2, ep. 86, 9 s. — De corrupt. Eloqu. c. 29. — Senec. ep. 48. — Sen. ep. 117.
Cap. X. Seneca, Benef. 7, 1. Ibid. c. 2.